RATIO DETERMINANDÆ

POTESTATIS IMPERATORIÆ,

Ex primis principiis deducta;

Cujus

PARTEM I:M,

Annuente Ampliſſimo Ordine Philoſophico Illuſtris Athenæi Upſalienſis,

Publice examinandam ſiſtunt

AUCTOR

PETRUS BJURBERG,

Facultatis Philoſophicæ ADJUNCTUS In Regia Academia Upſalienſi,

Atque

RESPONDENS

AMANUENSIS Conſiſtorii Acad. Upſal.

LAURENTIUS BJÖRKEGREN

LAUR. FIL. *O-GOTHUS.*

In Auditorio Guſtav. Majori ad diem XV. Junii, *Horis antemeridianis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

UPSALIÆ, ANNO MDCCXXXIX.

Digitized by Google

Regiæ Acade-
R E C T O R I
At-
PROFESSORIBUS & Con-
V I-
Maxime Reverendis, Nobilis-
Ampliſſimis &

PATRONIS ſumma animi veneratio-

Nec
Conſultiſſimo Acade-
PROMOTORI ſem-

Q*Uemadmodum arbores pulcerrimo virt-
ptæ, non modo oculos omnium miri-
etjam ad ſe rapiunt quaſi, invitantque
tia & prudentia ſumma, pietate in patriam ſan-
gnitate in calamitoſos propenſisſima, bonitate in*

Digitized by Google

miæ Upſalienſis

MAGNIFICO,

que
ſiſtorii *ADSESSORIBUS*,

R I S

ſimis, *Experientiſſimis*,

Celeberrimis.

ne ætatem ſuſpiciendis.

non
miæ SECRETARIO,

per colendo.

disſimoque frondium veſtitu ac comitatu ſe-ſice paſcunt, ſed, neſcio qua amœnitate umbra homines; ita Veſtra, Antiſtites magni, *ſapien-tisſima, beneficentia in egenos incredibili, beni-quemlibet, inprimis eruditæ Societatis civem pror-*

ſus

Digitized by Google

ſus ſingulari, juſtitia denique, & lenitate in univerſos & ſingulos, quis eſt, qui ad limina Veſtra *calcanda non provocetur, ac permoveatur? Permittatis vero, humillime rogo, Collegii* Veſtri *Alumno & Clienti, ut Sacra, & Splendida* Veſtra *nomina huic opuſculo, ſuo licet Marte non elucubrato, pro virili tamen parte jam jam defendendo, in fidem & obſidem devotæ pietatis omnisque obſequii, præfigat.* Vos *loquor*, Patroni Optimi, Vosque *ſubmiſſe imploro atque obteſtor, velitis ſpes fortunasque meas in poſterum æque commendatas habere, ac* Vobis *inde a principio felicioris mei aditus ad ſacram* Veſtram *aram curæ cordique benignisſimis fuerunt. Perenni* Veſtro *flore nihil unquam mihi erit antiquius, nihil prius, dum permanſero*

Magnifici Nominis TUI

Et

Max. Rever. Nobil. Experient. Ampliſſ. atque Clariſſim. Nominum

VESTRORUM

humillimus atque obſervantiſſimus Cultor

L. L. BJÖRKEGREN.

Digitized by Google

I. N. J.

§ I.

STatus, in quo quid concipitur per ipſam ſui exiſtentiam, dicitur *naturalis*.

Quid ſit *ſtatus* in genere, ex communi quidem vocis notione conſtare arbitror, attamen, quoniam æquivocationi facile etiam obnoxium eſſe poſſet hoc vocabulum, lubet ulterius id ipſum examinare. Wolfius (Ontol. §. 705.) definit *ſtatum*, quod ſit *coexiſtentia mutabilium cum iisdem fixis*; verum hac ratione, ſtatus non poteſt dici, niſi de rebus mutabilibus ſeu creatis, cum tamen exiſtimaverim etiam de Deo recte affirmari poſſe, eum eſſe in ſtatu, & quidem perfectiſſimo: eamque ob cauſam alia erit excogitanda definitio. Mihi videtur, ſi dixerim, ſtatum eſſe *determinationem exiſtentiæ alicujus entis*, eum poſſe adplicari & enti infinito & finito. Entia enim finita nunc exiſtunt hac, nunc alia ratione, adeoque ſtatus eorum multis modis poteſt determinari. Sic lapis nunc exiſtit calidus, nunc frigidus, ſic homo certo reſpectu cuidam eſt ſeu exiſtit æqualis, certo reſpectu inferior. Ens autem infinitum

 non

Digitized by Google

non niſi unica exiſtit ratione, adeoque & ſtatus ejus eſt immutabilis. Pufendorfius (de off. Hom. & Civ. Lib. 2. Cap. 1. §. 1.) vocat ſtatum in genere, *illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum.* Verum hæc definitio, non eſt ſtatus in genere, ſed ſtatus hominis tantum, & quidem in relatione ad legem quamcunque. Nos itaque primo dedimus definitionem ſtatus naturalis talem, ut, præter hominem, extendat ſe etiam ad alias res. Facile enim inde poteſt formari definitio ſtatus naturalis hominis, quod nempe ſit ſtatus, *in quo homo concipitur per ipſam ſui exiſtentiam.* Multum alias de ſtatu hoc hominis naturali differunt rerum moralium ſcriptores. Pufendorfius (de off. hom. & civ. Lib. 2. cap. 1.) triplici modo eum conſiderat. Primo in ordine ad *Deum*, ex quo fluit, quod homo debeat *auctorem ſui agnoſcere & colere*; ſecundo in ordine ad *ſe ipſum*, quomodo ſtatus hominis fuiſſet *miſerior, quam cujusvis bellua*; tertio in ordine ad *alios homines*, quo ſenſu *unus alteri non eſt ſubjectus.* A Pufendorfio parum differt Thomaſius (Jurispr. Div. lib. 1. cap. 2. §. 50 ſeq.) in diviſione ſtatus hujus naturalis. Nos quoque exiſtimamus ſtatum hominis naturalem triplici reſpectu poſſe conſiderari, paulo tamen aliter ac a Pufendorfio & Thomaſio factum fuit. Conſideratur enim; in relatione ad *Deum*, quatenus homo ipſi *natura eſt ſubjectus*; in relatione ſingulorum hominum ad ſe ipſos, quatenus ſunt *ſui juris*; in relatione ad *alios homines*, quatenus ſunt *ſibi invicem æquales.* Uti hæc in ſequentibus abunde demonſtrabuntur. Quoniam præterea nihil in definitione ſtatus hominis naturalis contineatur, unde concludere liceat eum eſſe *bellicum*: neque enim homo per exiſtentiam ſuam a Deo determinatur ad bellum; patet omnino hunc ſtatum eſſe maxime *tranquillum*, quem ſi *pacificum* dicere velis, non multum refragabimur.

§. 2.

§. 2. Status, in quo alicujus exiſtentia determinatur, per aliquas modorum vel relationum mutationes, dicitur *adventitius*.

Hac definitione, ſtatus adventitius non tantum contradiſtinguitur ſtatui naturali, ſed complectitur etjam, ſi ad homines fiat applicatio, tam ſtatum conjugalem, paternum & herilem, quam civilem. Sic uxor in relatione ad maritum, ſic filius in relatione ad patrem, ſic ſervus in relatione ad herum, ſic civis in relatione ad imperantem ſunt in ſtatu adventitio. Quoniam vero abſtrahere licet, proinde, ſepoſita ſeu non conſiderata relatione dicta, nihil impedit, quo minus is, qui alias dicitur civis, ſit cum eo, qui alias dicitur imperans, in ſtatu *naturali*, quatenus nempe ambo per exiſtentiam ſuam concipiuntur, vel quatenus ambo ſunt æque homines. Ad ſtatum enim naturalem, ſaltem prout a nobis accipitur, non requiritur, ut aliquis ipſo actu, ſit aut vivat vel aliorum conſortio deſtitutus, vel aliorum imperio ſolutus; ſufficit enim ſolus conceptus, ſeu diverſa ratio conſiderandi unam eandemque perſonam. Adeoque incaſſum decidit illa quæſtio, an aliqui homines unquam exſtitere in ſtatu naturali. Diximus in definitione, *modorum* vel *relationum* mutationes, ut attendatur ad ſtatum *internum* æque ac *externum*. Status enim rei internus eſt, ſi cujus exiſtentia determinetur per mutationem *modorum*, quippe qui rei inſunt; externus vero, ſi quid determinetur per *relationem* ad alias res.

§. 3 *Superior* is dicitur, qui poteſtatem habet in alium.

Superior communi notione vocatur, vel qui altius eſt collocatus; ſic dicimus partem ſuperiorem & in-

feriorem; vel etiam, qui ratione ordinis aut dignitatis aliquem antecellit; vel denique etiam, qui in alium obtinet quandam poteſtatem. Quoniam itaque *ſuperior* eſt terminus relativus, diverſimode acceptus, proinde ſi quædam concluſiones inde ſint deducendæ, fixa omnino erit ejus notio, atque, ſi ad præſens inſtitutum adplicetur, commodiſſime ſumetur in ultima ſignificatione; ut relationem ſemper habeat ad *alium*, poteſtati alicujus *ſubjectum:* nec enim communiter illum nobis eſſe ſuperiorem dicimus, qui aliis eſt ſuperior, licet illi nobis ſint æquales: ſic imperator Turcarum non proprie dicendus eſt ſuperior civibus noſtræ reipublicæ, licet nos cum ejus civibus ſimus æquales. Aliud itaque eſt ſuperior *aliquo*, aliud ſuperior *alicui*, poſterius poteſtatem involvit, prius vero non. Ad vocem *poteſtatis* quod attinet, illa quidem, tum ex uſu loquendi apud ſcriptores, tum ex ipſis noſtris ſententiis videtur magis conſtare, quam ſi aliqua ejus definitio adhibeatur; ſufficit itaque ſaltem monuiſſe, per *poteſtatem* nos non intelligere ſimplicem quandam potentiam aut vires aliquid faciendi, ſed potius *facultatem*, *jus* atque *auctoritatem* aliquid faciendi; non tamen excluſa potentia. Differunt quidem jus, facultas & auctoritas, tum inter ſe, tum a poteſtate, attamen ut ſynonyma heic aſſumi poſſunt. Hinc etiam jus, pro attributo perſonæ ſumtum, definiri poteſt, quod ſit *facultas vel poteſtas ad aliquid habendum vel agendum.*

§. 4. *Subjecti* illi dicuntur, quibus eſt aliquis ſuperior.

Sicut *ſuperioris*, ita etiam *ſubjecti* terminus ſemper eſt relative accipiendus.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. *Natura ſubjecti* illi dicuntur, quibus eſt aliquis ſuperior reſpectu habito ad illum ſtatum, in quo per ipſam ſui exiſtentiam, concipiuntur.

Hæc definitio dependet ex definitione ſtatus naturalis. (§. 1.)

§. 6. Superior quoad alterius *ſtatum naturalem* is dicitur, qui poteſtatem in aliquem habet, quoad ipſam ejus exiſtentiam.

Hæc definitio fundatur in definitione ſuperioris (§. 3.)

§. 7. Superior quoad alterius *ſtatum adventitium* is dicitur, qui poteſtatem in aliquem habet, quoad exiſtentiæ ejus determinationem per aliquas modorum vel relationum mutationes.

Hæc definitio conflata etiam eſt ex definitione ſuperioris (§. 3.) & ſtatus adventii (§. 1.) Atque hinc apparet, non pari paſſu ambulare, ſi dicamus aliquem eſſe ſuperiorem quoad ipſam alterius *exiſtentiam*; & ſi dicamus eum eſſe ſuperiorem quoad exiſtentiæ *modos* ſaltem ac *relationes*: qui enim priori modo eſt ſuperior, is poteſtatem habebit determinandi, non ſolum modos & relationes, ſed etiam attributa & eſſentiam entis, ipſamque exiſtentiam poterit dare enti, nondum exiſtenti.

§. 8. Quicunque habet poteſtatem largiendi alicui *exiſtentiam*; is eſt ei ſuperior, quoad ipſum ejus *ſtatum naturalem*: Deus habet

habet poteſtatem largiendi omnibus hominibus exiſtentiam. Ergo Deus omnibus hominibus eſt ſuperior, quoad ipſum eorum ſtatum naturalem.

Propoſitio prima in hoc argumento immediate deducitur e §.6. Ad propoſitionem vero ſecundam quod attinet, poſſet quidem illa probari, attamen ne longius quam par eſt divagemur, eam ut notam ponimus ex Theologia naturali.

§. 9. Quicunque eſt alicui *ſuperior* quoad ipſum ejus *ſtatum naturalem*; is eſt ei ſuperior quoad ipſam ejus *exiſtentiam*: Deus eſt omnibus hominibus ſuperior quoad ipſum eorum ſtatum naturalem. Ergo Deus omnibus hominibus eſt ſuperior quoad ipſam eorum exiſtentiam.

Propoſitio major ut axioma ſumitur deductum e §. 6. Minor vero eſt concluſio præcedentis ſyllogiſmi.

§.10. Qui eſt alicui ſuperior quoad ipſam ejus *exiſtentiam*; is eſt ei ſuperior quoad omnia, quæ ab *exiſtentia dependent*: Deus eſt omnibus hominibus ſuperior quoad ipſam eorum exiſtentiam. (per ſyll. præc.) Ergo Deus omnibus hominibus eſt ſuperior quoad omnia, quæ ab eorum exiſtentia dependent.

Prima

Digitized by Google

Prima propoſitio poteſt demonſtrari ex principio contradictionis. Pone enim aliquem eſſe ſuperiorem quoad exiſtentiam alicujus, & non quoad illa, quæ ab exiſtentia ejus dependent; tunc dependentia illa, rationem ſui ſimul haberent in *ſuperiore*, & ſimul non haberent: haberent quidem, quia in ſuperiore continetur ratio ipſius exiſtentiæ, quæ *in ſe* continet rationem illorum, quæ *a ſe* dependent; non haberent vero, quia alium agnoſcerent ſuperiorem. Quoniam vero nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe, patet eum, qui eſt *ſuperior* quoad *exiſtentiam*, etiam eſſe *ſuperiorem* quoad *exiſtentia dependentia*.

§. II. Qui eſt alicui ſuperior quod omnia, quæ ab *exiſtentia dependent*; is eſt ei ſuperior quoad omnes ejus *actiones*: Deus eſt hominibus ſuperior quoad omnia, quæ ab exiſtentia eorum dependent. (per ſyll. præc.) Ergo Deus eſt hominibus ſuperior quoad omnes eorum actiones.

Deducitur propoſitio prima ex definitione actionis, qua dicatur eſſe *mutatio ſtatus, cujus ratio continetur in ſubjecto, quod eundem mutat*, (Wolf. Ontol. §. 713) Cum enim id ab aliquo *dependere* dicatur, quod rationem ſui in eo habet; actiones vero rationem ſui habent in ſubjecto, quod ſtatum ſuum mutat; actiones a ſubjecto dependeant neceſſe eſt. Cum vero quidquam non poſſit eſſe ratio alterius niſi id ipſum prius exiſtat, *exiſtentia* utique ſubjecti *ratio* eſt, cur actiones de eo dici queant. *Ab exiſtentia igitur ſubjecti dependent actiones.*

§. 12. Qui eſt alicui *ſuperior* quoad omnes ejus *actiones*, is poteſtatem habet diſ-

ponendi

Digitized by Google

ponendi de omnibus ejus *actionibus*; (per defin. ſup. §. 3.) Deus hominibus eſt ſuperior, quoad omnes eorum actiones. (per ſyll. præc.) Ergo Deus habet poteſtatem diſponendi de omnibus hominum actionibus.

§. 13. Qui habet poteſtatem *diſponendi* de omnibus alicujus actionibus; is habet quoque poteſtatem *præſcribendi ei rationem*, ſecundum quam omnes actiones ſuas debeat inſtituere: Deus habet poteſtatem *diſponendi* de omnibus hominum *actionibus*. (per ſyll. præc.) Ergo Deus habet poteſtatem præſcribendi eis rationem, ſecundum quam ſuas actiones omnes debeant inſtituere.

Major propoſitio ex ipſa communi vocis notione conſtat. Sub poteſtate enim *diſponendi*, utpote termino latiori & generaliori comprehenditur poteſtas *præſcribendi rationem* ſeu regulam: implicat igitur dicere, aliquem habere poteſtatem diſponendi, & tamen non habere poteſtatem præſcribendi rationem. Quod ſi igitur ad Deum fiat applicatio: quoniam is habet poteſtatem diſponendi de omnibus hominum actionibus; proinde habebit etiam poteſtatem diſponendi, tam de actionibus *mentis*, ad quas etiam referuntur morales, quam de actionibus *corporis*, tum *externis*, quæ alias Phyſicæ ſeu locomotivæ dicuntur, ut manus extenſio, tum *internis*, quæ naturales vocantur, ut ſanguinis

circulatio.

Digitized by Google

circulatio. Quoniam vero poteſtas præſcribendi rationem reſtringitur ad illas actiones, *quas instituit homo*, per ſe patet excipi omnino *naturales*, utpote quas homo inſtituere nequit.

§. 14. *Ratio* ab aliquo ſuperiore præſcripta, ſecundum quam quis ſuas actiones inſtituere debet *Lex* dicitur.

Per *rationem* in hac definitione intelligimus modum, formam aut exemplar alicui propoſitum, cui actiones ejus ſint conformandæ; vel ſi mavis; *ratio* erit dictatum determinans alicujus actiones. Quoniam vero quis *debeat* ſecundum hanc rationem inſtituere ſuas actiones, ideo hoc ipſo inſinuatur legi ſemper ineſſe vim obligandi ſeu reſtringendi libertatem ejus, cui fertur.

§. 15. Qui habet poteſtatem *præſcribendi rationem*, ſecundum quam quis omnes actiones ſuas debeat inſtituere; is habet poteſtatem præſcribendi *legem*: (per defin. leg. §. præc.) Deus habet poteſtatem præſcribendi hominibus rationem, ſecundum quam ſuas actiones omnes debeant inſtituere. (per ſyll. præc.) Ergo Deus habet poteſtatem præſcribendi hominibus legem.

Hactenus quidem demonſtravimus ſaltem, Deum habere poteſtatem præſcribendi legem; requiritur nunc itaque, ut etiam demonſtretur eum actu ipſo præſcripiſſe. Id vero ab attributis Divinis deducitur, & quidem ſequenti modo.

§. 16. Quidquid *perfectiones* Divinas *patefacit*, id tendit ad *gloriæ* Divinæ *manifeſtationem*; ut homo ſit Deo *conformis*, perfectiones Divinas patefacit. Ergo ut homo ſit Deo conformis, tendit ad gloriæ Divinæ manifeſtationem.

Propoſitio Prima ex ipſa vocum notione facile deducitur, per gloriam enim non tam intelligimus manifeſtationem quam potius *poſſeſſionem perfectionum.* Habet enim Deus gloriam ſuam in ſe ſibique ipſi eſt ſufficiens, etiamſi nulla creatura exiſteret, quando autem perfectiones ſuas manifeſtat ſeu patefacit aliis, tunc etiam gloriam ſuam manifeſtat, & quando creatura perfectiones Divinas patefacit, tunc & illa manifeſtat gloriam Dei. Quoniam itaque gloriæ Divinæ manifeſtatio conſiſtat in perfectionum Divinarum manifeſtatione; per ſe conſtat, *omne id, quod perfectiones Divinas patefacit, tendere ad gloriæ Divinæ manifeſtationem.* Secunda propoſitio itidem ex vocum notione conſtabit: *conforme* enim in genere id dicitur, *quod aliquo modo rem quandam repræſentat.* Sic effigies conformis erit homini, ſi ſpeciem repræſentet faciei humanæ, certo autem homini erit conformis, ſi repræſentet lineamenta huic homini propria. Ex hoc itaque ſequitur, ad conformitatem non requiri, ut aliquid gaudeat eadem eſſentia vel iisdem attributis ac illud, cum quo conforme dicitur; ſufficit enim aliqualis convenientia. Sic effigies licet homini dicatur conformis, non tamen gaudet anima vel corpore humano. Ex hac notione conformis, ſequitur ergo præterea, non id dici ſtatim alteri conforme, quod cum eo convenit in aliquo con-

ceptu

ceptu communi & latiori; ſic homo convenit cum lapide in eo, quod ambo ſint ſubſtantiæ, non tamen homo dicitur conformis lapidi, ſed id requiri, ut unum *ſiſtat quaſi effigiem alterius*: ſic idea dicitur conformis rebus, quia ſiſtit imaginem in mente rei repræſentatæ. Denique etiam ſequitur, conforme admittere plurimos gradus, quo magis enim quid exprimit rem quandam, eo magis eſt ei conforme. Antequam vero jam conſtare poſſit, id patefacere perfectiones Divinas, ut homo Deo ſit conformis, etiam illa formula loquendi, qua quid dicatur perfectiones Divinas patefacere, ulterius eſt examinanda. Tum itaque is dicitur patefacere perfectiones Divinas, qui eas *declarat aliisque repræſentandas agnoſcendas, celebrandas & inviolandas ponit*; qua ratione ipſe Deus ſuas perfectiones patefacit, tum quoque is, qui eas *perſpicit, repræſentat, agnoſcit, celebrat & inviolatas relinquit*, quomodo creaturæ perfectiones Divinas patefacere dicuntur. Quocunque jam ſenſu hoc acceperis, ſatis omnino evincitur, non poſſe quidem perfectiones Divinas *declarari* vel *perſpici* niſi exiſtat aliqua creatura, *cui declarari* & *a qua perſpici* poſſunt; atque eatenus ſequitur etiam, eam rationis cujus hæ ſunt facultates, debere eſſe participem. Antequam vero poſſunt perfectiones Divinæ *repræſentari, agnoſci, celebrari & inviolata relinqui*, inſuper omnino requiritur, ut hæc creatura ejusmodi dotibus gaudeat, ut poſſit eas repræſentare, agnoſcere, celebrare & inviolatas relinquere: ex quo porro ſequitur, eam non debere eſſe *alienam* a perfectionibus Divinis ſed *conformem* utique, qui enim *rem quandam aliquo modo repræſentat, is ei dicitur conformis*. Ad *patefactionem* itaque perfectionum Divinarum requiritur, ut aliqua creatura rationis particeps, qualis eſt homo, ſit *conformis* perfectionibus divinis; quoniam vero perfectiones Divinæ non ſunt aliquid a Deo diſtinctum, ſequitur omni-

no *id pateſacere perfectiones Divinas, ut homo ſit Deo conformis.* Quoniam vero conformitas non requirat, ut aliquid habeat cum altero eandem eſſentiam vel attributa, ſed tantum, ut aliquo modo ea repræſentet, ita ad conformitatem hominis cum Deo hoc ſaltem requiritur, ut homo aliquot *modis ſuis* repræſentet perfectiones ſeu attributa Divina. Sic homo ſua juſtitia & ſanctitate, quæ in numerum *modorum* utique ſunt referendæ, repræſentat juſtitiam & ſanctitatem Dei, quæ ſunt ejus perfectiones ſeu *attributa*. Quoniam præterea conformitas admittat plurimos gradus, ita major vel minor poteſt eſſe hominis cum Deo conformitas, pro diverſitate ſtatuum hominis.

§. 17. Quidquid tendit ad *gloriæ* Divinæ *manifeſtationem*, id *conveniens* eſt ſapientiæ Divinæ; ut homo ſit Deo conformis tendit ad gloriæ divinæ manifeſtationem. (per ſyll. præc.) Ergo conveniens eſt ſapientiæ Divinæ, ut homo ſit ipſi conformis.

Ex notione ſapientiæ Divinæ conſtat fines Dei, ſapientiæ ejus convenire. Finis autem Dei eſt manifeſtatio gloriæ ejus, ergo *hæc manifeſtatio conveniens eſt ſapientiæ Dei.* Eſſe vero hanc manifeſtationem gloriæ, finem Dei eumque ultimum & per conſequens univerſalem, conſtat ex eo, quia antequam aliquid exiſteret, finis utique in Deo eſt quærendus, ob quem aliquid exiſtere voluit, quoniam vero Deus ſibi ipſi ſufficiens eſt, proinde alius non poteſt eſſe finis, quam gloriæ ejus manifeſtatio.

§. 18. Quidquid *conveniens* eſt ſapientiæ Divinæ, id Deus quoque vult eſſe; ut homo ſit

mo ſit

mo ſit ipſi conformis, conveniens eſt ſapientiæ Divinæ. (per ſyll. præc.) Ergo vult Deus hominem ſibi eſſe conformem.

Concordant ſemper in Deo ſapientia & voluntas, id quod ex notione utriusque adparet & eapropter etjam omnia, quæ ſapientiæ conveniunt, voluntati quoque conveniunt. Verum itaque eſt, *Deum omnino velle, quæ ſapientiæ ejus conveniunt.*

§. 19. Quidquid Deus *vult* eſſe, id quoque ejusmodi donare *eſſentia* ipſi conveniens eſt, ut *obtineri posſit*: Deus vult hominem ſibi eſſe conformem. (per ſyll. præc.) Ergo conveniens eſt Deo, hominem ejusmodi donare eſſentia, ut conformitas illa obtineri poſſit.

Prima propoſitio ex notione eſſentiæ deducitur, hæc enim eſt *id, in quo continetur ratio, cur cetera enti cuidam ineſſe poſſint.* Quoniam itaque Deus eſt auctor ipſius rerum eſſentiæ, nihil autem enti ineſſe poſſit, niſi cujus ratio continetur in eſſentia ejus, ſequitur omnino, Deum, ſi aliquid *velit fieri vel eſſe, etiam debere id ejusmodi eſſentia donare, ut fieri vel obtineri poſſit.* Atque hæc etiam eſt ratio, cur Deo viſum fuerit donare hominem anima rationali & corpore organico, arctiſſimo nexu inter ſe junctis, qua in re eſſentia hominis conſiſtit. Niſi enim enim homo ejusmodi gauderet eſſentia, conformitatis dictæ ne quidem capax eſſe poſſet. Ne vero aliquem offendat, quod dicamus hominem *donatum* eſſe anima rationali & corpore organico; cum ſine iis, ne homo quidem concipi poſſit: obiter notandum,

dum, hæc ita eſſe intelligenda, quod Deus donavit aliquam creaturam anima rationali & corpore organico, quam eam ob cauſam *hominem* dicimus.

§. 20. Quidquid Deo convenit ejusmodi donare *eſſentia*, ut conformitas quædam inter ſe atque illud obtineri poſſit, illi quoque ei convenit *media ordinare*, per quæ conformitas illa obtineatur: Deo convenit hominem ejusmodi donare eſſentia, ut conformitas quædam inter ſe & eum obtineri poſſit. (per ſyll. præc.) Ergo Deo convenit, homini media ordinare, per quæ conformitas illa obtineatur.

Prima propoſitio conſtat ex notione medii, hoc enim eſt *id, per quod finis actum conſequitur*, quoniam itaque Deus eum in finem donavit aliquid ejusmodi eſſentia, qua conformitas obtineri poſſit, ut etiam obtineatur, erit omnino conformitas finis; quoniam vero per eſſentiam conformitas dicta tantum redditur poſſibilis, Deo omnino etiam convenit ea ordinare, per quæ finis ſeu conformitas dicta actum conſequatur: quum vero hæc ſunt *media*; patet *Deum media quoque ei ordinare debere, quem vult ſibi eſſe conformem.*

§. 21. Cuicunque, convenit Deo, *media ordinare*, per quæ conformitas quædam inter ſe & illud obtineatur, ei quoque, convenit Deo, *rationem præſcribere*, ſecundum quam actiones ejus conformari debent *ſanctitati*

ctitati ſuæ: homini, convenit Deo, media ordinare, per quæ conformitas quædam inter ſe & eum obtineatur. (per ſyll. præc.) Ergo Deo convenit rationem præſcribere homini, ſecundum quam actiones ejus conformentur ſanctitati Divinæ.

Quoniam id *conforme* dicitur, quod aliquo modo rem quandam *repræſentat*, ergo ſi quid erit Deo conforme, illum aliquo modo repræſentabit. Quoniam vero Deus gaudeat *excluſione abſoluta eorum omnium, quæ oppoſita ſunt illis, quæ poſſidet*; ergo debet is, qui Deum repræſentabit, nihil in ſuis modis admittere, quod huic Dei attributo repugnet. Cum vero hoc attributum ſit *ſanctitas* Divina, (Bylfing. diluc. Phil. § 455.) ſequitur omnino eum, qui Deo erit conformis, in *modis ſuis* nihil admittere debere, quod huic ſanctitati eſt oppoſitum. Cum præterea actiones ſint *mutationes ſtatus*, mutatio vero ſtatus cum aliud eſſe nequeat, quam *modus* rei; ſequitur eum, qui nihil in ſuis modis admittere debet, quod ſanctitati Divinæ eſt oppoſitum, nihil in *actionibus* ſuis admittere debere, quod ſanctitati Divinæ eſt oppoſitum: quando vero hoc fit, tunc actiones ejus dicuntur conformari ſanctitati Divinæ. Quoniam itaque conformitas cum Deo *per hoc* obtineatur, ut actiones alicujus cum ſanctitate Divina conformentur; erit certe hæc conformatio actionum, *medium* obtinendi conformitatem cum Deo: *per quod* enim aliquid obtinetur, id eſt ejus medium. Cumque tandem is media ordinare dicatur, qui modum vel rationem præſcribit, per quam aliquid obtinebitur: Ergo *convenit Deo, ei præſcribere rationem, ſecundum quam actiones ejus confor-*

formari debent ſanctitati ſuæ, cui Deo convenit media ordinare, per quæ conformitas quædam inter ſe & illud obtineatur.

§. 22. Quidquid Deo *convenit*, id etiam *fecit*: Deo convenit rationem præſcribere homini, ſecundum quam actiones ejus conformari debent ſanctitati ſuæ. (per ſyll. præc.) Ergo Deus præſcripſit rationem homini, ſecundum quam actiones ejus conformari debent ſanctitati ſuæ.

Prima propoſitio facillime deducitur ex communi notione omnium attributorum Divinorum; ſicut enim Deus pariter eſt ſapientiſſimus & potentiſſimus; ita impium omnino & abſurdum eſt dicere Deum unquam omiſiſſe ea, quæ ad eum pertinent. Quidquid igitur ſuarum eſt partium, ſeu quod idem valet, *quidquid ei convenit, id omnino fecit* facitque ſemper.

§. 23. Ratio a Deo præſcripta hominibus, ſecundum quam actiones eorum conformari debent ſanctitati Divinæ, *Lex naturæ* dicitur.

Quid per *rationem* hoc loco intelligatur, antea expoſitum eſt, (§. 14.) quid *conformitas* involvat, pariter ex ſuperioribus conſtare arbitror. Nunc itaque oſtendendum eſt ſaltem, hanc noſtram definitionem convenire cum uſu loquendi communi: dum ideo *lex naturæ* ſumitur in relatione ad actiones humanas, tanquam ſuum *objectum*, tum communiter non dicimus eam verſari circa *omnes omnino actiones* hominis; ſic enim & Phy-

ſicas

Digitized by Google

ſicas & naturales quoque complecteretur, ſed ne quidem circa *omnes actiones mentis*; tunc enim nulla certe lex humana locum habere poſſet, niſi velimus has duas omnino confundere. Communi autem ore ſic dicimus hæc vel illa actio, E. G. quercus & mali exciſio, non eſt prohibita in *lege naturæ*, ſed in *lege patriæ* civili. Reſtat itaque legi naturæ, ut occupetur tantum circa actiones *mentis liberas* determinandas, quæ *conformari debent ſanctitati divinæ*, ut ex inferioribus etiam conſtabit.

§. 24. Quicunque præſcripſit *rationem*, ſecundum quam actiones hominis conformari debent ſanctitati Divinæ, is præſcripſit *legem naturæ*: (eſt axioma e §. præc.) Deus præſcripſit rationem, ſecundum quam actiones hominis conformari debent ſanctitati Divinæ. (per ſyll. præc.) Ergo Deus præſcripſit legem naturæ.

Deduximus ſic exiſtentiam legis naturæ ex conformitate hominis cum Deo, & hanc quidem ex fine creationis, qui eſt gloria Dei. Exiſtimamus enim non ſatis commode ac ſimpliciter demonſtrari poſſe exiſtentiam hujus legis ex perfectione' creaturarum in genere. Etiamſi enim Deus velit omnium creaturarum *perfectionem*, non tamen inde magis ſequitur eum velle ut actiones noſtras liberas ad *ejus gloriam dirigamus*, quam idem ſequeretur de reliquis creaturis, quarum etiam velit *perfectionem*, niſi prius oſtendatur gloriam Divinam hoc requirere, ut homines ſpeciali quadam ratione Deo ſint *conformes*. Præterea etiam ex illa ſententia ſequeretur, omnia illa, quæ tendunt ad ſtatum noſtrum *perficiendum*, pertinere ad legem naturæ, ibique eſſe vel prohibita vel injuncta; cujus tamen rei contrarium

demonſtrabimus in ſequentibus. Poſſet vero dubium manere alicui, an ex conformitate hominis cum ſanctitate Divina originem ducat lex naturæ, ideo quia homo, ſibi relictus, ignoret, *an* & *cur* actio quædam ſit contra ſanctitatem Divinam; (Thom. Juriſpr. Div. Lib. 1. Cap. 4. §. 26.) atque annon propterea omnia præcepta legis naturæ ex eo ſint metienda, an conveniant cum *natura hominis rationali*. Nos itaque exiſtimamus, haud incongrue dici: hominem exinde, quod quædam actio ſit *conformis cum natura ejus rationali*, intelligere debere eam quoque eſſe *conformem cum ſanctitate Divina*, & vice verſa, ſi a natura hominis rationali ſit aliena, eam quoque eſſe *alienam* a ſanctitate Divina; atque eatenus in lege naturæ eſſe injunctam vel prohibitam, non eapropter quidem, quod præciſe differat vel conveniat cum natura rationali, ſed quod conformis aut difformis ſit a ſanctitate Divina. Is enim, qui vel nomen Dei in vanum aſſumit, vel homicidium committit, aut aliud ejusmodi peccatum contra legem naturæ patrat, non eapropter cenſenſus eſt Deum offendiſſe, quod *natura ſua haud convenienter* egerit, ſed quia ſanctitati Divinæ *non conformiter* ſe geſſerit, atque violaverit perfectiones Divinas, gloriamque ſic Divinam, quantum in ſe, imminuerit. Per peccata enim violantur perfectiones Divinæ, atque adeo etiam gloria Dei læditur.

§. 25. Qui *præſcripſit legem naturæ*, is *prohibuit* omnes illas actiones, quæ *repugnant* ſanctitati Divinæ, omnesque *injunxit*, quarum omiſſiones eidem ſanctitati repugnant: Deus præſcripſit legem naturæ. (per ſyll. præc.) Ergo Deus prohibuit omnes illas actiones,

quæ

Digitized by Google

quæ repugnant ſanctitati ſuæ, omnesque injunxit, quarum omiſſiones eidem ſanctitati repugnant.

Quoniam lex ſit *ratio a ſuperiore præſcripta, ſecundum quam quis ſuas actiones inſtituere debet*, (§ 14.) proinde ejus eſt, qui legem præſcribit, *determinare* actiones alicujus, hoc eſt, certas prohibere, certas injungere; tunc enim quis ad legis rigorem ſuas actiones inſtituit, ſi prohibitas omittat, injunctas vero faciat. Hinc & videmus talem legi competere poſſe definitionem: *quod ſit ſententia a ſuperiore lata certas actiones prohibens, certas vero injungens.* Quum itaque lex naturæ ſit ratio, ſecundum quam actiones humanæ conformari debent ſanctitati Divinæ, (§. 23) ergo is, *qui hanc legem præſcripſit, eo ipſo prohibuit omnes actiones, quæ ſanctitati Divinæ repugnant, omnesque injunxit, quarum omiſſiones eidem ſanctitati repugnant.* Ex his ergo etiam ſequitur, omnem actionem humanam, quæ in lege determinatur, eſſe vel prohibitam vel injunctam, quæ vero in lege non determinatur, eſſe nec prohibitam nec injunctam; atque adeo prohibitum atque injunctum *non eſſe contradictorie oppoſita.* Sibi itaque non conſtare videntur, qui dicunt unam eandemque actionem certo reſpectu eſſe *prohibitam* & certo *non prohibitam*: hæc enim prædicata ſunt ſibi invicem contradictorie oppoſita, nec de uno eodemque ſubjecto prædicari vere poſſunt. Ita differunt omnino actiones illæ duæ; *rem auferre*, atque rem auferre *alienam*: prior non eſt prohibita, poſterior vero quam maxime, prior eſt actio corporis, poſterior actio mentis.

§. 26. Quibus eſt aliquis *ſuperior* quoad illum ſtatum, in quo per ipſam ſui exiſtentiam

concipiuntur, illi ei ſunt *naturæ ſubjecti*: (eſt axioma e §. 5) Deus eſt hominibus ſuperior quoad illum ſtatum, in quo per ipſam ſui exiſtentiam concipiuntur. (per ſyll. §. 8.) Ergo homines Deo ſunt natura ſubjecti.

Minor propoſitio totidem verbis non quidem habetur in concl. ſyll. §. 8., eſt tamen locutio identica, ibi enim habetur *definitum* ipſum, nempe ſtatus naturalis, heic autem ejus *definitio*, uti conſtat ex §. 1.

§. 27. Qui eſt alicui *natura ſubjectus*, is eſt ei ſubjectus, quoad *omnes ſuas actiones*: homines Deo ſunt natura ſubjecti. (per ſyll. præc.) Ergo homines ſunt Deo ſubjecti quoad omnes ſuas actiones.

Liceat primam propoſitionem immediatis conſequentiis deducere hoc modo: Qui eſt alicui natura ſubjectus, is eſt ei ſubjectus quoad ipſam ſui exiſtentiam: (e §. 9.) Qui eſt ſubjectus quoad ipſam ſui exiſtentiam, is eſt ſubjectus quoad omnia, quæ ab exiſtentia dependent: (e §. 10.) Qui vero hoc, is etiam eſt ſubjectus quoad omnes ſuas actiones. (e §. 11)

§. 28. Qui eſt alicui ſubjectus, quoad *omnes ſuas actiones*, is non habet ipſe poteſtatem de *ullis diſponendi*: homines ſunt Deo ſubjecti quoad omnes ſuas actiones. (per ſyll. præc.) Ergo homines ipſi non habent poteſtatem de ullis diſponendi.

Propoſitio prima deducitur e §. 12 per principium contradictionis. *Subjectus* enim quis dicitur in reſpectu

ad

ad *ſuperiorem*, & ſubjectus quidem quoad omnes actiones, in reſpectu ad ſuperiorem, qui habet poteſtatem de iis diſponendi. Quod ſi igitur quis eſſet ſubjectus & nihilominus haberet poteſtatem in ſuas actiones, tunc haberet eandem & ſimul non haberet; prius quidem per hypotheſin, poſterius vero, quia habet eandem ſuperior, cui eſt ſubjectus. *Quatenus* itaque, *quis eſt alteri ſubjectus*, *eatenus non habet poteſtatem in ſuas actiones*: habere tamen poteſt, quatenus jus aliquod ipſi a ſuperiore fuerit conceſſum, uti ex ſequentibus patebit.

§. 29. Qui *non* habet poteſtatem diſponendi de *ullis ſuis actionibus*, is neque habet poteſtatem *præſcribendi rationem*, ſecundum quam ſuas actiones debeat inſtituere: homines ipſi non habent poteſtatem diſponendi de ullis ſuis actionibus. (per ſyll. præc.) Ergo homines non habent poteſtatem ſibi ipſis præſcribendi rationem, ſecundum quam ſuas actiones debeant inſtituere.

Poteſtas præſcribendi ſupponit poteſtatem diſponendi, quoniam itaque contrariorum contraria eſt ratio, ſequitur eum, *qui non habet poteſtatem diſponendi*, *nec habere poteſtatem præſcribendi*. Quoniam vero hæc *ratio*, ſecundum quam quis ſuas actiones debeat inſtituere, *lex* dicatur, (§. 14.) immediata conſequentia ex ſyllogiſmo allato fluit, homines non poſſe ſibi ipſis *legem* præſcribere, atque adeo nec legem *naturæ*, nec legem ſic dictam *civilem*. Objicere autem heic quis poſſet, experientiam cum hac noſtra aſſertione e diametro pugnare: quis enim præſcribit hominibus legem civilem, niſi ipſi homines? At vero, ſi genuinus verborum noſtrorum ſen-

Digitized by Google

ſus capiatur, hoc dicunt: unam eandemque perſonam, in ſe ſpectatam, non poſſe ſimul eſſe legislatorem & ſimul legis acceptatorem. Hæc enim duo ſunt ſibi invicem relative oppoſita, nec magis aſſeri poſſunt, quam ſi dicerem, unam perſonam ſibi ipſi eſſe patrem & ſibi ipſi filium: quomodo autem homines poſſunt aliis præſcribere legem, id in ſequentibus dicetur. Ad legem vero naturæ quod attinet, etiamſi ea, legi civili ſæpius, in ipſo codice, ita ſit intermixta, ut vix diſcerni queat, tamen hoc tenendum eſt, homines non eſſe ejus *legislatores*, uti jam evictum eſt, ſed tantum *declaratores*, *exſecutores & vindices*, uti jam modo conſtabit.

§. 30. Qui habet poteſtatem *præſcribendi legem*, is quoque habet poteſtatem *ſumendi vindictam* de transgredientibus: Deus poteſtatem habet præſcribendi hominibus legem naturæ. (per ſyll. §. 15. & 24) Ergo habet poteſtatem ſumendi vindictam de hominibus transgredientibus legem naturæ.

Vocabulo *vindictæ*, a nobis adhibito, liceat talem adjungere notionem, quod ſit *actus, quo aliquis læſus malum lædenti proprio auſu retribuit, vel ut ſibi in poſterum caveatur, vel ut injuria illata reſtituatur ſeu compenſetur*. Neceſſariam eſſe hanc compenſationem in omni injuria egregie ſatis evincit Hockſtetterus, (de jure pœnar. ſect. 6. §. 2. n. c.) eamque ultionem adverſus τὸ ἄνομον dicere, aſſerit. Major itaque propoſitio in argumento noſtro ponitur ut axioma, ſub poteſtate enim leges præſcribendi *comprehenditur poteſtas retribuendi malum, adeoque & vindictam ſumendi*. Quod ſi mavis, poteſt hæc propoſitio deduci ex ipſa notione ſuperioris quoad ſtatum alicujus naturalem. (e §. 6.)

§. 31.

Digitized by Google

§. 31. Qui habet poteſtatem *in aliquam rem*, is poteſt *exercitium ejus rei* alii concedere: Deus habet poteſtatem ſumendi vindictam de hominibus tranſgredientibus legem naturæ. (per ſyll. præc.) Ergo Deus homini hoc exercitium poteſt concedere, ut vindictam ipſe ſumat de homine transgrediente legem naturæ.

Accipitur heic a nobis poteſtas abſtracte & generaliter, pro plenaria quadam & abſoluta poteſtate, non prout alias accipitur certis reſpectibus & limitibus circumſepta; ſic enim communiter dicimus; eum, qui habet poteſtatem ſibi in aliquid conceſſam, non ſtatim pro lubitu ejus exercitium alii concedere poſſe: neque enim Judex territorialis, licet poteſtatem ipſe habeat, in judicio lites dirimendi civium, poteſt exercitium hujus rei alii concedere ſine venia ſuperiorum ſuorum. Quod ſi vero accuratius hanc rem exponere velis, ita potius dicendum eſt; habet Judex territorialis poteſtatem, ſeu facultatem dirimendi lites civium, ſed non habet poteſtatem *in illam ipſam actionem, qua hæc facultas dirimendi lites alii conceditur*, adeoque nec illam concedere poteſt; & ſic in aliis, de quibus & plura in ſequentibus. Adhibita igitur hac explicatione facile major propoſitio ex ipſa vocum notione intelligitur.

§. 32. Per quod *obtinetur finis* a Deo intentus, id ipſum Deus quoque *vult fieri*; per obſervationem legis naturæ obtinetur finis a Deo intentus. Ergo Deus vult legem naturæ obſervari.

Ex

Digitized by Google

Ex notione finis & medii conſtat prima propoſitio. Et certe, qui vult finem & non vult media, is nihil velle cenſendus eſt, ſibique ipſe eſt contrarius; ſimul enim vult & ſimul non vult. Minor propoſitio ex antecedentibus patet: vult enim Deus hominem ſibi eſſe conformem, (e §. 18.) eamque ob cauſam præſcripſit ipſi legem naturæ, (e §. 22 & 24) finis itaque Dei, per legem naturæ intentus, eſt conformitas hominis cum Deo. Quoniam itaque conformitas ſit finis, lex naturæ autem medium, per quod obtinebitur, medium omnino illud debet obſervari, ſi finis erit unquam obtinendus. Obſervatio itaque legis naturæ eſt medium, per quod obtinetur finis a Deo intentus, nempe conformitas noſtra cum Deo.

§. 33. Per quod obſervatio legis naturæ *promovetur*, id Deus *facit*: per vindictam, de transgreſſoribus legis naturæ ſumendam, promovetur ejus obſervatio. Ergo Deus vindictam ſumit de transgreſſoribus legis naturæ.

Deus facit omnia, quæ tendunt ad finem ſuum obtinendum, finis autem ejus eſt gloriæ Divinæ manifeſtatio; hic vero finis obtinetur, ſi homo ſit ipſi conformis, homo autem redditur Deo conformis per obſervationem legis naturæ: ergo *Deus facit omnia, quæ promovent obſervationem legis naturæ.* Atque ſic conſtat propoſitio prima. Altera autem ſic poteſt deduci. Omnes homines abhorrent ab eo quod ſtatum eorum reddit imperfectum, malum vero id eſt, quod ſtatum noſtrum imperfectum reddit: ergo omnes homines abhorrent a *malo.* Quoniam autem vindicta conſiſtat in *attributione mali*, patet utique, omnes homines abhor-

rere a vindicta, ſibi nempe inferenda. Cum vero abhorreant a vindicta, abhorrebunt quoque a violatione legis, quam ſequitur vindicta. Facit itaque vindicta, ut homines abhorreant a violatione legis. Quidquid autem facit, ut aliquis a re quadam abhorreat, per illud promovetur ejus rei contrarium, contrarium *violationi* legis eſt ejus *obſervatio;* vindicta ergo promovet obſervationem legis. Notandum vero, vindictam, exempli gratia, æternam illam poſt hanc vitam impios manentem, non quatenus *ipſo actu* ſumitur a transgreſſore, promovere obſervationem legis, ſed quatenus *in anteceſſum* noverit homo, ejusmodi vindictam aliquando eſſe ſumendam. Poſſet tamen & concluſio ſyllogiſmi noſtri ſic demonſtrari: per quod injuria illata reſtituitur ſeu compenſatur, id Deus facit; per vindictam injuria illata reſtituitur ſeu compenſatur: Ergo Deus vindictam ſumit. Quoniam vero experientia evincatur, Deum immediata ſua potentia non ſtatim in his terris vindictam ſumere de transgreſſoribus legis naturæ, cum tamen genus humanum ſine ejusmodi matura maleficii vindicta vix conſiſtere poſſet, proinde tuto concludimus, ſapientiæ Divinæ id conveniens non fuiſſe, eandemque ob cauſam placuiſſe Deo, *hoc jus concedere hominibus*, & quidem ſingulis, ut poſſint injuriam ſibi illatam vindicare. Antequam vero aliquis poteſt injuriam vindicare, debet omnino certus eſſe, hanc vel illam actionem eſſe injuriam, atque adeo poteſt ad legem provocare, eamque ſic promulgare & declarare. Patet itaque ſingulos homines eſſe *promulgatores, declaratores & vindices legis naturæ*, per jus ſibi a Deo conceſſum. Interim tamen non negamus Deum promulgare ac declarare legem naturæ in corde uniuscujuslibet hominis. Sicut nec inficias imus Deum, ut juſtiſſimum vindicem, ſæpiſſime quoque & forte ſem-

per, etiam in his terris, præter pœnas ſic dictas naturales, vindictam ſumere de legis naturæ transgreſſoribus. Sic animadvertimus homicidas, etiamſi carnificis manus ſemel effugerint, violentam tamen plerumq; obiiſſe mortem. Atque huc ſpectat nemeſis Divina. Quum vero hæc nemeſis, ob longanimitatem & patientiam Divinam, lento gradu procedat, ita ut ſæpius non prius obtingat, quam in ipſo mortis agone, & tamen felicitatis humanæ interſit, mox coerceri facinoroſos homines; inde, ut jam modo dictum, apparet, hoc jus homini eſſe conceſſum. Eſſet enim vana omnis ſui ipſius defenſio atque vindicta, ſi Deus in ipſo actu vel reprimeret maleficum, vel eum ſtatim externis modis ita torqueret, ut continuo poſſet eſſe perſuaſus, a ſe vindictam hujus facinoris ſumi.

§. 34. *Æquales* illi dicuntur, quorum unus non eſt alteri ſuperior.

Æqualia in genere alias definiuntur, (Wolf. Ont. §. 349) quod ſint, *quæ ſalva quantitate ſubſtitui ſibi mutuo poſſunt*. Nos vero hanc notionem reſtringimus nunc ad illa tantum, quæ concernunt quantitatem moralem a phyſica vel mathematica diſtinctam; atque eatenus noſtra definitio comprehenditur ſub illa generali. Quorum enim unus non eſt alteri ſuperior, eorum unus non habet aliquam poteſtatem in alterum, ſicut nec alter in ipſum: poſſunt itaque ſibi invicem ſubſtitui reſpectu illius poteſtatis, ſeu ſalva manente quantitate illa morali, quæ poteſtas dicitur. Adhibuiſſem quidem libentius vocabulum *paritatis*, proprie enim loquendo, illi *pares* dicuntur, quorum unus non eſt alteri ſuperior; verum enim vero, quoniam moraliſtæ, dum hoc inſtituto agant de homine, adhibeant vocem *æqualitatis*, nos quoque eam retinuimus. Faciles enim

eſſe

eſſe volumus in terminis, modo ſenſus eorum conſtare poſſit.

§. 35. *Natura æquales* illi dicuntur, quorum unus non eſt alteri ſuperior quoad ſtatum eorum naturalem.

Poſſet & talis definitio adhiberi; quod natura æquales ſint, qui reſpectu habito ad illum ſtatum, in quo per ipſam ſui exiſtentiam concipiuntur, æquales ſunt.

§. 36. Quicunque non habet poteſtatem *largiendi* alicui *exiſtentiam*; is non eſt ei ſuperior quoad *ſtatum ejus naturalem*: homines non habent poteſtatem largiendi aliis hominibus exiſtentiam. Ergo nec homines hominibus ſunt ſuperiores quoad ſtatum eorum naturalem.

Propoſitio major vi oppoſitionis patet ex propoſitione prima §. 8. Minor vero tum ab experientia, tum ex ratione quam maxime conſtat. Homo quidem hominem generat: quis vero eapropter dixerit eum ei largiri exiſtentiam? Exiſtentiam enim alicui largiri, nihil aliud eſt, quam *ex non exiſtente vel non ente ſeu nihilo producere exiſtens, vel ens ſeu aliquid.* Quidquid itaque hodie exiſtit, id utique omne etiam in ipſa creatione exſtitit, non enim Deus quidquam ex nihilo poſtea produxit. Dicis vero: an tot exſtitere homines, bruta, frutices & reliqua in ipſa creatione quot nunc? ſeu an homines hodienum viventes tunc etiam exſtitere? Reſpondeo: niſi tunc exſtitiſſet aliqua ſubſtantia, unde homines hodie viventes potuiſſent formari, nun-

quam

quam omnino adfuiſſent. Vel ſi mavis ita dicimus: omne id, quod hunc vel illum hominem conſtituit, exſtitit in ipſa creatione. Atque ſic diſtinguendum omnino eſt inter *exiſtentiam* rei ipſius & *modum exiſtendi.* Exiſtentiam rei nemo præter Deum poteſt largiri, modus vero exiſtendi a creaturis dependet. Itaque parentes in generatione nihil, præter modum exiſtendi, ſoboli ſuæ conferunt, inde vero non ſequitur, eos eſſe ſuperiores quoad ipſam exiſtentiam, atque adeo etiam nec quoad ſtatum eorum naturalem. Minor itaque propoſitio ſic poteſt probari: *Qui non poteſt hominem ex nihilo producere, is non habet poteſtatem largiendi ipſi exiſtentiam, at homines. Ergo.* Omnis itaque poteſtas parentum in liberos concernit tantum ſtatum eorum adventitium, nec ſe ulterius extendit, quam ad actiones liberorum indifferentes. Non autem inde tamen ſequitur fundamentum ejus derivari ex conſenſu, ut jam in poſterum de poteſtate Imperatoria erimus demonſtraturi; dependet enim nihilominus ex generatione, non quidem tanquam beneficium conſiderata, cum beneficii requiſita generationi haud competant, ſed quia parentes per illam ſoboli ſuæ conferunt *modum exiſtendi.* Qui igitur habet poteſtatem generandi aliquem, is habet poteſtatem conferendi ei modum exiſtendi; qui habet poteſtatem conferendi alicui modum exiſtendi; is habet poteſtatem in illum quoad exiſtentiæ ejus determinationes per aliquas modorum vel relationum mutationes: at qui hoc habet, is eſt ſuperior quoad alterius ſtatum adventitium. (per §. 7) Quoniam itaque parentes habent poteſtatem generandi liberos, ideo etiam illis ſunt ſuperiores quoad ſtatum eorum adventitium.

§. 37. Quorum unus non eſt alteri *ſuperior* quoad *ſtatum* eorum *naturalem*, illi

ſunt

ſunt *natura æquales*: (eſt axiom. c§. 35) homines hominibus non ſunt ſuperiores quoad ſtatum eorum naturalem. (per ſyll. præc.) Ergo homines ſunt natura æquales.

Diverſimode alias conſideratur hæc æqualitas hominum naturalis, dicuntur enim homines natura æquales; primo reſpectu *eſſentiæ*, quatenus omnes habeant animam rationalem & corpus organicum, atque eatenus omnes æque ſunt homines; ſecundo reſpectu *virium ſeu potentiæ*, qua quisque idem poteſt in alium ac alter in ipſum, licet non ſemper eam in actum queat deducere; tertio reſpectu *Juris*, quatenus omnibus æquum jus competit in omnia bona, uſibus humanis a Deo creatore deſtinata: quarto reſpectu *poteſtatis ſeu libertatis*, qua unusquisque immunis eſt ab alterius in ſe poteſtate. Hanc poſtremam Thomaſius (Jurispr. Div. Lib. 2. cap. 3 §. 22. 23) dicit *non eſſe inter omnes homines, ſed eos ſaltem, qui vivunt in ſtatu naturali*. Aſt vero, quatenus hæc libertas eſt naturalis, locum certe obtinebit inter omnes homines in quocunque demum ſint ſtatu: nam etiamſi aliquis ratione quadam adventitia non ſit liber nec alteri æqualis, tamen in relatione conſideratus ad ſtatum ſuum naturæ eſt liber, eidemque eatenus æqualis.

§. 38 Quicunque non eſt alicui ſuperior quoad ipſum ejus *ſtatum naturalem*, is non eſt ei ſuperior quoad ipſam ejus *exiſtentiam*: homines hominibus non ſunt ſuperiores quoad ſtatum eorum naturalem. (per ſyll. §. 36.) Ergo homines hominibus

non

non ſunt ſuperiores quoad ipſam eorum exiſtentiam.

Major tum ex ipſa definitione ſuperioris quoad alterius ſtatum naturalem e §. 6, tum quoque vi oppoſitionis e §. 9 conſtat.

§. 39. Qui non eſt alicui ſuperior quoad ipſam ejus *exiſtentiam*, is neque ei eſt ſuperior quoad illa, quæ ab *exiſtentia dependent*: homines hominibus non ſunt ſuperiores, quoad ipſam eorum exiſtentiam, (per ſyll. præc.) Ergo nec homines hominibus ſunt ſuperiores quoad illa, quæ ab exiſtentia dependent.

Major iterum vi oppoſitionis patet e §. 10 Sicut enim is, qui alteri eſt *ſuperior* quoad ejus exiſtentiam, eatenus etiam eſt & manet ſuperior quoad ea, quæ ab exiſtentia dependent; ita qui non eſt *ſuperior* quoad prius, tanquam antecedens, eatenus nec eſt vel manet *ſuperior* quoad poſterius, tanquam neceſſarium conſequens. Ne vero occaſio detur cavillandi, obſervandum eſt; poſſe quidem illum, qui alicui non eſt ſuperior quoad ejus *exiſtentiam*, fieri tamen ſuperiorem quoad illa, quæ ab *exiſtentia dependent*, ſed hoc fit per factum quoddam aut conceſſionem, ut ex inferioribus conſtabit. Noſtra vero propoſitio ſimpliciter negat eum eſſe ſuperiorem ſine reſpectu ad aliquod factum aut conceſſionem, per quam *fieri* poſſit: adeoque heic non eſt vera oppoſitio. Vel ut adhuc clarius me exprimam; hic eſt ſenſus argumenti mei: quod homines, natura æquales, non ſint ſibi invicem natura ſuperiores, quoad illa, quæ

Digitized by Google

la, quæ ab eorum exiſtentia dependent. *Eſſe enim natura æqualis* & *naturâ ſuperior* ſunt ſibi oppoſita.

§. 40. Qui non eſt alicui ſuperior quoad illa, quæ ab *exiſtentia ejus dependent*, is neque eſt ei ſuperior quoad ejus *actiones*: homines hominibus non ſunt ſuperiores quoad illa, quæ ab exiſtentia eorum dependent. (per ſyll. præc.) Ergo homines hominibus non ſunt ſuperiores quoad eorum actiones.

Præterquam quod major propoſitio vi oppoſitionis iterum ſequatur e. § 11., ex ipſa quoque vocum notione ſatis clara eſt. Quoniam enim actiones dependeant ab exiſtentia, neceſſario ſequitur eum, qui non eſt ſuperior quoad ea, quæ ab exiſtentia dependent, neque eſſe ſuperiorem quoad actiones.

§. 41. Qui non eſt alicui *ſuperior* quoad ejus *actiones*, is neque habet poteſtatem *diſponendi* de ejus *actionibus*: homines hominibus non ſunt ſuperiores quoad eorum actiones. Ergo homines non habent poteſtatem diſponendi de eorum actionibus.

Major eſt axioma e §. 3. Sicut enim is, qui habet poteſtatem in alium, ſit ſuperior, ita qui non habet, non eſt ſuperior.

§. 42. Qui non habet poteſtatem *diſponendi* de alicujus actionibus, is neque habet

bet poteſtatem *præſcribendi rationem*, ſecundum quam actiones ſuas debeat inſtituere, & per conſequens neque *legem*: homines non habent poteſtatem diſponendi de hominum actionibus. (per ſyll. præc.) Ergo neque homines habent poteſtatem præſcribendi hominibus rationem, ſecundum quam actiones ſuas debeant inſtituere, & per conſequens neque legem.

Vi oppoſitionis major propoſitio patet e §. 13. 14. & 15. Quoniam enim poteſtas *præſcribendi* rationem, ſecundum quam quis ſuas actiones debeat inſtituere, *comprehendatur* ſub poteſtate *diſponendi* de alicujus actionibus; ita ſequitur omnino eum, qui non gaudet priori poteſtate, nempe diſponendi, in qua continetur ratio poſterioris, nempe præſcribendi rationem, neque gaudere hac ipſa poſteriore. Et quoniam ratio ab aliquo ſuperiore præſcripta, ſecundum quam quis ſuas actiones inſtituere debet, *Lex* dicatur; (§. 14.) immediata conſequentia omnino fluit, eum, qui non habet poteſtatem præſcribendi hanc rationem, neque poteſtatem habere præſcribendi *legem*.

§. 43. *Sui juris* is eſſe dicitur, qui poteſtatem habet in proprias actiones.

Quoniam jus & poteſtas fere coincidunt, (§. 3) hinc ſuæ poteſtatis ſeu juris is erit dicendus, qui poteſtatem habet in ſuas, hoc eſt proprias actiones. Poſſent & aliæ definitiones adhiberi, ita ut *ſui juris ſit*, vel *qui non habet aliquem ſuperiorem*, vel *qui nulli eſt ſubjectus*, quæ tamen cum definitione allata conveniunt, ſi genuine explicentur.

§. 44.

Digitized by Google

§.44. Qui *non habet* poteſtatem in proprias actiones, illi *non ſunt* ſui juris: (eſt axioma e §. præc.) homines non habent poteſtatem in proprias actiones. (per ſyll. §. 28.) Ergo homines non ſunt ſui juris.

Poterit hic ſyllogiſmus intelligi & explicari ex illis, quæ allata ſunt ad §. 28, ulterius tamen eum explicabimus in illis, quæ proxime ſeqventur, & cum iisdem conciliabimus. Liceat vero heic rationem ordinis noſtri adducere. Antequam igitur determinari poſſit poteſtas Imperatoria, hoc eſt, antequam affirmari poſſit, quousque ſeſe extendere qveat; primo utique diſpiciendum erit, quousque ſeſe extendere queat poteſtas hominum ſingulorum. Itaque ut hoc diſpici poſſet, conſideravimus ſingulos homines: (§. 1.) vel in relatione ad *Deum*, quatenus is eſt ſuperior atque illi ſubjecti, vel in relatione ad *alios homines*, quatenus ſunt natura æquales, atque neuter alteri ſuperior, neuter alteri ſubjectus, vel etiam in relatione ad *ſe ipſos*, quatenus ſunt ſui juris per conceſſionem Divinam. Duo priora momenta huc uſque enodavimus, ſequitur ergo jam tertium.

§.45. Quidquid tendit ad *gloriæ Divinæ manifeſtationem*, id *conveniens* fuit ſapientiæ Divinæ: creare hominem ejusmodi facultatibus animæ & corporis inſtructum, ut proprio inſtituto ſtatum ſuum naturalem poſſit reddere commodiorem, tendit ad gloriæ Divinæ

manifeſtationem. Ergo conveniens fuit ſapientiæ Divinæ, creare hominem ejusmodi facultatibus animæ & corporis inſtructum, ut proprio inſtituto ſtatum ſuum naturalem poſſit reddere commodiorem.

Majorem propoſitionem antea explanavimus. (§. 16 & 17) Ad minorem vero quod attinet, pariter & illa ex notione gloriæ Divinæ, ejusque manifeſtatione conſtabit. Sicut enim gloriæ Divinæ manifeſtatio conſiſtit in *agnitione*, *celebratione & repræſentatione perfectionum Divinarum*; ita tendit ad agnitionem, celebrationem & repræſentationem *bonitatis* ac *potentiæ* Divinæ, quod homo ejusmodi dotibus ſit inſtructus, ut proprio inſtituto poſſit perficere ſtatum ſuum naturalem, ſeu quod idem fere eſt, ut poteſtatem habeat ipſe permovendi vitæ ſuæ commoda. Ne autem ſcrupulus cuidam maneat, quod prius dixerimus; (§. 16) ex hac patefactione perfectionum Divinarum fluere *conformitatem* hominis cum Deo, atque inde ipſius legis naturæ neceſſitatem ſequi, quæ non dependet ex proprio hominum inſtituto, ſed ex ſanctitate Divina, ad quam conformandi ſumus: ego quidem ſic exiſtimaverim; quod actionibus illis, quibus *conformari* debemus ſanctitati Divinæ, non tam *commodior redditur* atque *perficitur* ſtatus noſter naturalis, quam potius in ſuo eſſe *conſervatur & manet*, atque ideo etiam harum actionum determinatio fuit neceſſaria, tenditque ad gloriam Divinam. Actiones autem reliquæ, quæ ſtatum naturalem commodiorem atque perfectiorem reddunt, cum his minime ſint oppoſitæ, ſed potius ſuperadditæ; ita earum determinatio non fuit neceſſaria, eandemque ob cauſam tendit ad gloriæ Divinæ manifeſtationem, ut hæ relinquantur liber-

tur libertati ac poteſtati humanæ. Sunt itaque actiones noſtræ, non in duplici, ſed triplici differentia; quædam enim *depravant*, quædam *conſervant*, quædam *perficiunt* ſtatum naturalem: quando autem ſtatus naturalis perficitur, tunc oritur ſtatus adventitius. Non itaque ſic licet argumentari: quidquid nos noſtrumque ſtatum naturalem reddit *deteriorem*, illud eſt lege naturæ prohibitum, quidquid vero nos noſtrumque ſtatum naturalem reddit *perfectiorem*, id lege naturæ eſt injunctum: nam ſicut prior propoſitio ſuo fundamento nititur, ita poſterior maxime vacillat.

§. 46. Quidquid dependet ex *proprio* hominum *inſtituto*, id non habet *neceſſariam relationem* ad ſanctitatem Divinam: actiones illæ, quibus ſtatus hominum naturalis redditur commodior, dependent ex proprio hominum inſtituto. (per ſyll. præc.) Ergo non habent neceſſariam relationem ad ſanctitatem Divinam.

Ex ipſa vocum notione conſtabit major; aliud enim eſt proprium hominis inſtitutum, aliud ſanctitas Divina. Hoc tamen non ita capiendum, ac ſi inſtituta humana ſint vel eſſe debeant *oppoſita* ſanctitati Divinæ, ſunt enim hi termini *diſparati*, ſicut nec ſtricte & preſſe loquendo, dicendum ſit proprium hominis inſtitutum, eſſe debere *conforme* cum ſanctitate Divina. Minor licet non ſit concluſio præcedentis ſyllogiſmi, totidem verbis expreſſa, tamen ibidem continetur: quoniam enim ſapientiæ Divinæ conveniens fuerit creare hominem ejusmodi facultatibus inſtructum, ut proprio inſtituto poſſit ſtatum ſuum naturalem reddere commodiorem,

diorem, utique id Deus fecit; ac proinde gaudet omnino homo ejusmodi facultatibus. Quoniam itaque poſſit proprio inſtituto perficere ſtatum naturalem, utique actiones illæ, quibus ſtatus naturalis perficitur, ſeu commodior redditur, dependent ab illo inſtituto.

§.47. Quidquid non habet *neceſſariam relationem* ad ſanctitatem Divinam, illud vel factum vel omiſſum *non repugnat ſanctitati* Divinæ: actiones illæ, quibus ſtatus hominum naturalis redditur commodior, non habent neceſſariam relationem ad ſanctitatem Divinam. (per ſyll. præc.) Ergo vel factæ vel omiſſæ non repugnant ſanctitati Divinæ.

Ex notione vocum relationis & repugnantiæ arbitror majorem facile conſtare. Actio vero omiſſa idem nobis dicit ac omiſſio actionis.

§.48. Quod vel factum vel omiſſum non *repugnat* ſanctitati Divinæ, ei neque præſcripta eſt aliqua ratio, ſecundum quam *conformari* debeat ſanctitati Divinæ: actiones illæ, quibus ſtatus hominis naturalis redditur commodior, vel factæ vel omiſſæ non repugnant ſanctitati Divinæ. (per ſyll. præc.) Ergo illis actionibus aliqua ratio non eſt præſcripta, ſecundum quam conformari debeant ſanctitati Divinæ.

Major

Digitized by Google

Major propoſitio deducitur ex principio contradictionis; quod ſi enim ei quoque, quod vel factum vel omiſſum non repugnat ſanctitati Divinæ, eſſet præſcripta aliqua ratio, ſecundum quam conformari deberet ſanctitati huic; tunc id & ſimul eſſet conforme cum ſanctitate Divina & ſimul non eſſet: prius quidem per hypotheſin, poſterius vero, quia non habet neceſſariam relationem ad ſanctitatem Divinam, ſeu quia a ſanctitate Divina diſparatum eſt, ut & fieri & non fieri poſſit ſalva eadem manente.

§. 49. Cui non eſt aliqua ratio præſcripta, ſecundum quam *conformari* debeat ſanctitati Divinæ, ei neque *lex naturæ* eſt præſcripta: (per §. 23) actionibus illis, quibus ſtatus hominis naturalis redditur commodior, non eſt aliqua ratio præſcripta, ſecundum quam conformari debent ſanctitati Divinæ. (per ſyll. præc.) Ergo nec illis actionibus eſt præſcripta lex naturæ.

§. 50. Actiones illæ, quibus *non eſt præſcripta lex naturæ*, in lege naturæ neque ſunt *prohibitæ* neque *injunctæ*: actionibus illis, quibus ſtatus hominum naturalis redditur commodior, non eſt præſcripta lex naturæ. (per ſyll. præc.) Ergo actiones illæ in lege naturæ neque ſunt prohibitæ neque injunctæ.

Major propoſitio vi oppoſitionis e §. 25. pparet. Sicut enim legis conſtitutio, vel, ſi mavis, forma in eo conſi-

conſiſtat, ut actiones determinet, certas *prohibendo*, certas *injungendo*; ita ſequitur omnino, illas actiones, quæ in lege naturæ non determinantur, ſeu quibus lex naturæ non eſt præſcripta, neque ibidem eſſe vel prohibitas vel injunctas.

§. 51. Actiones illæ, quæ in lege naturæ neque ſunt prohibitæ neque injunctæ, *indifferentes* dicuntur.

Quoniam in ſuperioribus demonſtravimus, eſſe ſeu dari quasdam actiones, quæ in lege naturæ neque ſunt prohibitæ neque injunctæ, atque hæ actiones *indifferentes* dicuntur, dubio certe caret, dari actiones indifferentes. Ubi tamen probe obſervandum, quod & ex ipſa definitione patet, actiones indifferentes tantum referri ad legem naturæ, quod ſi enim latius hoc vocabulum extendatur, utique plurimæ actiones, quæ, reſpectu habito ad legem naturæ, ſunt indifferentes, ſi referantur ad leges civiles erunt vel prohibitæ vel injunctæ. *Abſolute* igitur *indifferens* illa actio erit dicenda, quæ in nulla omnino lege neque Divina neque humana fuerit prohibita vel injuncta. Eſt alias agitata inter eruditos illa controverſia: an dentur actiones indifferentes nec ne? Orta autem videtur exinde, quod actionibus indifferentibus vulgo illa notio ſit juncta, ac ſi eſſent neque bonæ neque malæ. Quod itaque ad hanc rem attinet, certe, ſi hæc duo, *bonum* & *malum* ſint contradictorie oppoſita, nullum omnino medium inter illa locum obtinebit, ſed omnis actio erit vel bona vel mala, atque ſic nulla omnino indifferens, in quocunque demum ſenſu eam acceperis: quod ſi vero *bonum* & *malum* non aſſumantur ut termini contradictorii, tunc ſane oppoſitum boni erit *non bonum*, oppoſitum mali *non malum*; atque ſic actio quædam, etiamſi non ſit bona, tamen

Digitized by Google

non eapropter ſtatim erit mala, ac vice verſa, etiamſi non ſit mala, tamen non eapropter ſtatim erit bona. Atque ſic poſſet omnino dari actio indifferens inter bonam & malam, ita ut ſit *non mala.* Adeoque non tanto jure videtur Hochſtetterus (Coll. Puf. Exerc. 2. §. 37. p. m. 103.) culpare nuperum quendam ſcriptorem, quod *actionem indifferentem vocet non malam ſeu bonam in ſenſu negante.* Pari ratione ſeſe res habet, ſi indifferens actio dicatur ea, quæ *neque honeſta* eſt, *neque turpis*, quod ſi enim & hi termini ſint contradictorie oppoſiti, certe omnis actio erit vel honeſta vel turpis. Alias enim ſic dicendum: omnis actio eſt vel *honeſta* vel *non honeſta*, vel *turpis* vel *non turpis.* Prohibitum vero & injunctum, quibus terminis nos uſi fuimus, non eſſe contradictorie oppoſita ad §. 25. obſervavimus. Quoniam igitur *peccare* is dicatur, qui vel facit ea, quæ in lege ſunt prohibita, vel omittit ea, quæ in eadem ſunt injuncta; ita ſequitur eos non peccare, qui vel faciunt vel omittunt eas actiones, quæ in lege non ſunt neque prohibitæ neque injunctæ, cumque hæ ſint *indifferentes*, patet eum non peccare, qui vel facit vel omittit actiones indifferentes.

§. 52. Quæcunque actiones humanæ in lege naturæ *neque* ſunt *prohibitæ neque injunctæ*, in eas ipſi *homines habent poteſtatem:* actiones indifferentes ſunt in lege naturæ neque prohibitæ neque injunctæ. (eſt axioma e §. præc.) Ergo in actiones indifferentes homines ipſi habent poteſtatem.

Prohibere atque *injungere* ejusmodi ſunt termini, qui ſemper reſpiciunt aliquod ſubjectum, *cui* hoc vel illud

illud ſit prohibitum vel injunctum. Quando igitur loquimur de actionibus humanis, illas certe intelligimus, quas facit & inſtituit homo, cumque illæ, homini non ſint prohibitæ vel injunctæ, ſequitur omnino hominem habere in eas poteſtatem. Aliud itaque eſt poſſe *facere & inſtituere* aliquam rem, aliud vero in eam *habere poteſtatem*, prius enim involvit tantum ſimplicem quandam potentiam, poſterius vero facultatem & jus. (§. 3.) Alias enim hoc certum eſt hominem quoque facere & inſtituere poſſe eas actiones, quæ in lege naturæ ſunt determinatæ, non tamen inde ſequitur hominem in eas habere poteſtatem; ſic poteſt ipſo actu occidere innocentem, poteſt fallere proximum, non tamen habet jus ſeu poteſtatem occidendi atque fallendi. Ne autem locus detur cavillationibus, quod (§. 28) diximus: hominem non habere poteſtatem diſponendi de *ullis* ſuis actionibus, heic vero dicamus eos habere poteſtatem in actiones *indifferentes*, quæ ſibi invicem contradictoria videntur, hæc res ulterius erit explicanda. Ibi itaque demonſtravimus hominem, quatenus Deo eſt ſubjectus quoad omnes ſuas actiones, non habere poteſtatem in ullas. Quod ſi itaque ſapientiæ Divinæ viſum fuiſſet lege quadam, ſive naturalis ſive poſitiva eſſet dicenda, determinare omnes omnino actiones humanas, certe hoc in ejus poteſtate fuiſſet, atque ſic homo in nullam habuiſſet poteſtatem. Quoniam vero jam in ſequentibus demonſtravimus ſapientiæ Divinæ id conveniens non fuiſſe, ut omnes omnino actiones humanas determinaret; utique homo in *non determinatas* habet poteſtatem, non quidem per ſe, ſed per conceſſionem Divinam. Adeoque heic nulla eſt contradictio. Præterea & hoc breviter obſervandum, quod quoniam heic argumentamur ex principiis ſolius rationis, ita ad nos non pertinet quæſtio illa, an detur aliqua Lex Di-

vina

vina poſitiva univerſalis? ac proinde ſufficiat dixiſſe: omnes actiones humanas, quæ in lege naturæ non determinantur, relictas eſſe poteſtati hominis, niſi Deus præterea legem quandam tulerit omnes homines ſtringentem, cujus notitia ex alio fonte erit petenda.

§. 53. Qui poteſtatem habet in proprias actiones, is eſt ſui juris: (per §. 43.) homines poteſtatem habent in proprias actiones, *ſcil. indifferentes.* (per ſyll. præc.) Ergo homines ſunt ſui juris, *ſcil. quoad actiones indifferentes.*

Hic ſyllogiſmus non eſt oppoſitus ei, qui habetur §. 44, ſunt namque homines ſui juris, quatenus habent poteſtatem ſibi a Deo conceſſam in actiones indifferentes, atque etiam quatenus nulli eatenus ſunt ſubjecti; cum omnes ſint natura æquales, atque unus non habeat poteſtatem in alterius actiones. (§. 34. ad 43.) Non autem ſunt ſui juris, quatenus Deo ſunt ſubjecti per naturam, & quatenus is poteſtatem habet in omnes actiones. Sed & hoc obſervandum, quod etiamſi Deus conceſſerit homini poteſtatem in actiones indifferentes, non tamen inde ſequitur, hoc ipſo Deo aliquid ademtum fuiſſe: manet enim nihilominus omnimoda poteſtas Divina, & ſemper ſibi quaſi aliquod dominium eminens in actiones humanas habet reſervatum.

§. 54. Qui eſt *ſui juris*, is, in quantum eſt ſui juris, habet *plenariam poteſtatem diſponendi* de omnibus ſuis actionibus: homines in tantum ſunt ſui juris, in quantum actio-

Digitized by Google

nes eorum in lege naturæ non ſunt determinatæ. (per ſyll. præc.) Ergo homines habent plenariam poteſtatem diſponendi de omnibus ſuis actionibus in lege naturæ non determinatis.

Qui eſt ſui juris, is habet poteſtatem in proprias actiones; (§. 43) poteſtas autem illa in eo conſiſtit, quod habeat jus atque facultatem pro ſuo arbitrio *plene ac libere* diſponendi de ſuis actionibus, nam alias poteſtas erit nulla. Si enim dicam, quod res eſt, videtur certe mihi hæc formula loquendi, qua quis dicatur habere poteſtatem *in aliquid*, magis involvere, quam vulgo putatur. Quando enim quis hoc dicitur, tunc certe poteſtas ei non poteſt denegari in id, in quod eam habere dicitur: adeoque dum dico aliquem habere poteſtatem limitatam vel minus plenam *in aliquid*, eo ipſo utique inſinuatur *aliquid* ſimul eſſe, in quod non habeat eandem, limitata enim & minus plena dicitur, quia non extendit ſe ad id, quod non eſt poſitum in ejus poteſtate. Atque ſic contradictionem involveret dicere, aliquem habere poteſtatem limitatam *in aliquid*. Notanter dico *in aliquid*, alias enim certiſſimum eſt, dari poteſtatem limitatam, ſi non reſpectus habeatur ad determinatum *aliquod objectum*, circa quod verſetur, tunc enim limitata appellatur quatenus fines & limites agnoſcit. Quando autem ad *aliquid*, tanquam ſuum objectum refertur, utique nihil ex illo objecto eſſe poteſt, ſequin eidem poteſtati ſubjaceat. Atque adeo omnis poteſtas, quam quis habet *in aliquid*, tanquam ejus poteſtatis proprium objectum, erit plenaria & illimitata. Exemplo res forſan fiet clarior. Herus habet poteſtatem in famulorum actiones, quæritur autem an ſit li-

mitata nec ne? dico: in quantum herus habet poteſtatem in famulorum actiones, in tantum eſt illimitata ſeu plenaria, in quantum vero limitata dicitur, in tantum non habet. Habet ſcil. poteſtatem in certas actiones, in certas vero non; id quod etiam deinceps de ſummo Imperante erit oſtendendum. Neque hoc mirum cuiquam videbitur, qui notionem quandam diſtinctam ſibi formavit de actione. Certe, prout ego hanc rem percipio, tot ſunt actiones humanæ, quot ſunt motus, vel ſi mavis mutationes in mente vel corpore humano.

§. 55. Qui habet plenariam poteſtatem diſponendi de omnibus ſuis actionibus *in lege naturæ non determinatis*, is habet plenariam poteſtatem diſponendi de actionibus *indifferentibus*: (per §. 51.) homines habent plenariam poteſtatem diſponendi de omnibus ſuis actionibus in lege naturæ non determinatis. (per ſyll. præc.) Ergo homines habent plenariam poteſtatem diſponendi de actionibus ſuis indifferentibus.

§. 56. Qui habet plenariam *poteſtatem diſponendi de actionibus ſuis*, is habet quoque *poteſtatem concedendi alii cuidam* poteſtatem diſponendi de ſuis actionibus: homines habent plenariam poteſtatem diſponendi de actionibus ſuis indifferentibus. (per ſyll. præc.) Ergo homines habent quoque poteſtatem conce-

dendi cuidam inter ſe poteſtatem diſponendi de ſuis actionibus indifferentibus.

Quoniam poteſtas concedendi alii poteſtatem diſponendi de ſuis actionibus *continetur* ſub illa poteſtate, quam quis habet in proprias actiones, proinde major noſtra propoſitio per ſe patet. Minor tam per ſyll. præc. quam cetera antecedentia ſatis quidem eſt probata, breviter tamen & vulgari ratione liceat rem expedire. Deus qui omnibus eſt ſuperior habet poteſtatem in omnia, adeoque etiam in omnes hominum actiones, adeoque etiam poteſt legem præſcribere omnibus hominum actionibus; quoniam vero hoc non viſum fuerit ejus ſapientiæ, proinde quasdam reliquit hominis libertati. Quoniam vero homines ſunt natura æquales, proinde unus non obtinet aliquam poteſtatem in alterum, adeoque ſinguli habent poteſtatem in proprias actiones a Deo non determinatas. Inter has vero actiones, is ipſe actus, quo alii concedunt poteſtatem in ſe, quoque eſt numerandus; neque enim Deus, in lege naturæ vel prohibuit vel injunxit hominibus, ut uni cuidam ſe ſubmitterent. Licet enim *ratio humana* dictitet magis conſuli vitæ noſtræ, ſi unius poteſtati nos ſubmittamus, quam ſi quisque diſponat de ſuis actionibus, non tamen *lex naturæ* hoc dictitat.

Dn. RESPONDENTI.

En! nitidum Phœbi germen, quod tendit ad auras
Vertice; Pieridum quodque rigavit humor,
Temet Amice loquor, Phœbi qui pulpita ſcandens,
Ingenii prodis pinguia rura Tui.
Impetus ad doctas quisnam Te ſuſcitat artes?
Ingenium ſollers, nominis atque decus.

Amicitiæ ergò applauſit
CHRISTIAN HOUG.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google